



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

[Quare hæc de animæ partibus dixit. K]

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

parte animi, quę debet obtēperare rationi, tanquā rectori viro. Etiam in vnoquoq; nostrū nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisq; delabitur, quam tunc actum est in illis tribus, serpēte, muliere & viro. Nam primo fit suggestio, siue per cogitationem, siue per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo, quę suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non moueatur ad peccatum, excluditur serpentis astutia. Si autem mota fuerit, quasi iam mulieri persuasum erit: sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat & compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquantula luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido cōmouerit, faciēdum esse decernat, ab omni vita beata, tāquam de paradyso, expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiam si non subsequetur factum, quando rea tenetur in confessione conscientia.

Quare hæc de anime partibus dixit.

K

Hæc de anime partibus interseruimus, vt ipsius anime natura plenius cognosceretur, & secundum quam sui portionem in ea sit liberum arbitrium intelligatur: scilicet, secundum rationem, qua omne peccatum mortale geritur, sed non omne veniale: illud scilicet, quod in solo motu sensualitatis existit.

Quod sensualitas sepe in scriptura aliter quam supra accipitur, scilicet, vt etiam inferior rationis portio eius nomine intelligatur.

L

Nō est autē silentio prætereūdum, quod sepe in scriptura nomine sensualitatis, nō id solū in anima est nobis cōmune cū pecore, sed etiā inferior portio rationis, quę tēporaliū dispositioni intendit, intelligitur. Quod diligēs Lector in locis scripturæ, vbi de ipsa fit mentio, vigilanter annotat.